



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 3. Laborem, non honorem, in Episcopatu esse appetendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

ribus augeam, si modo induxeris animum Deos colere. At ille, Ego eum, qui vere est Deus, mente & oratione veneror; deos autem, qui nihil sunt, nisi demonum simulachra, odi, & execror. Quo responso excandescens Imperator ad aquas Gradatas eum securi percuti jubet. Hanc purpurâ sanguinis sui, regum purpuris quicumque anteponit, licitè desiderat episcopatum; qui aliud quærit in eo, quod splendeat, ire per extentum funem quærit, vnde facilis est lapsus.

§. III.

Laborem, non honorem, in Episcopatu esse appetendum.

Alterum itaque quod in Episcopatu, Decanatu, Parochia, aut Sacerdotio potest spectari, est honor humanus; dignitas Ecclesiastica; gradus sublimior; ampla potestas; copiosi prouentus; mensa lautior; pinguior fortuna; splendidior familia. Ob hæc talia quisquis episcopatum desiderat, ambitione, & auaritiâ periculosâ peccat. 1.

Quia, teste Augustino, episcopatus est nomen operis, non honoris. Itaque si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, ait

S. Hieronymus, opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod humilitate de-

E

crescat,

S. Aug.
lib. 19. ci-
uit. c. 19.

S. Hieron.
ep. 83. ad

Ocean
 Author
 operis
 imperfe-
 cti hom.
 33. in
 Matth.

crescat, non intumescat fastigio. Et author operis imperfecti, opus, inquit, desiderare in se bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est; primatus fugientem se desiderat, desiderantem se fugit & horret. 2. Quia Episcopatus est status perfectionis: nec factis est Episcopo tendere ad perfectionem, sed oportet eum iam esse in statu perfectionis Christianæ; at quis, nisi superbus, de se præsumat, se esse iam perfectum? præsumit autem, quisquis in episcopatu, non laboré, sed gradum desiderat ac dignitatem. Non licet igitur eam desiderare dignitatē. Quam-

S. Grego-
 rius l. p.
 Past. c. 8.

obrem, ut D. Gregorius animadvertit, Apostolus laudans desiderium boni operis, protinus in pavorem vertit, quod laudavit, cum subdit: oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse; qualem quisquis se ipsum iudicat, hoc ipso nomine est reprehendendus. 3. Adde, quod, ut docet Conc. Tridentinum, Episcopatus sit onus Angelicis humeris formidabile, cum Episcopus, & Abbas, & quilibet Prælatus, non tantum pro sua, verum etiam pro omnium subditarum ovium animabus Deo iudici sit rationem redditurus. Hoc

Hebr. 13.
 17.

enim indicat Paulus cum ait: Obedite præpositis vestris, & subiaccere eis. Ipsi enim peruisi-
lanti

lant, quasi rationem pro animabus vestris red-
dituri. Quare si pro nobis ipsis rationem dif-
ficilem habituri sumus, cur volumus eam
difficultatem duplicare? Nonne temerarius
est, qui cum præ debilitate ouem humeris
suscipere vix potest, cum Milone conatur
gestare bouem?

§. IV.

Qui fugiant, qui ambient regimen?

Agnouerunt hanc regendi alios difficul-
tatem vel ipsi Ethnici. Socrates, apud Plato-
nem, miratur eos, qui volentes imperium
suscipiunt, cum nullus probus magistratus
sibi, sed subditis eorumque commodis in-
tendat seruiatque. Quapropter existimat,
probos viros ad magistratus capessendos in-
uitos adigendos esse poena, vel præmio pro-
posito. Hodie improbi, vel per adulatione-
nes, vel per pecuniam, vel per alias occultas
artes, ne dicam per Simoniam, grassantur
ad magistratum, vt eò profundius inde in-
barathrum Acherontis cadant, quò altiùs
ambitione ascenderunt. Vnde fit, vt cum
probi non solum non ambient, sed etiam
fugiant hæc splendida, improbi autem om-
nibus neruis ad ea contendant, tam pauci
probi, tam multi improbi ad sceptræ, aut

Plat di-
al. 1. de
legibus.